

## D E P O N D E R I B V S

cxx. hoc est, quindecim Vncias pendere. Idem & a Rhemnio Fannio Palæmone in carmine de ponderibus proditū est, quod opus nomine Prisciani uulgo circunfertur, ubi de Cyatho loquens, bis quinque, inquit, hunc faciūt Drachmæ, si appendere uelles.

ξέσησ. Sed & Græci ξέσην suum, quem Sextarium Plinius solet appellare, Libræ esse scripserūt unius, itemque Semissis. Sic Paulus Aegineta, sic & interpres Nicandri, sic & Suidas ipse in dictione μέθυμος prodidit. Huic sententiæ etiam accessit Serapion Arabs Medicus, qui apud Dioscoridem libro primo, capite de Pinu, quod Græce legitur, tres Cyathos, quatuor Vncias, ipse transtulit, constat autem Cyathos duodecim in Sextario esse. Accedit his, quod in confesso est, Modium Sextarios sedecim continere. Quapropter ex Isidori ratione xxxij. Libras pendere deberet, & tamen Plinius Libro xvij. author est, Modium tritici leuissimū pendere Libras uiginti, grauissimum Libras xxvij. & Dodrantem. Sed & Iuuenalis Satyra sexta mulierem quandam describit, quæ quoniam uitrum omne purum, ut Dioscorides libro quinto scribit ὄρεκ τυχόν est, ipsa ante cibum quo appetentiam excitaret de Oenophoro